



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE EXCELLENTI || DIVINAE GRATIAE NATVRA,|| & iis que  
ad eam tùm obtinendam tùm conseruandam ||  
requiruntur, de#[que] ipsius admirabili efficacia ||  
DISPVTATIO,|| In inclyta et Catholica Academia ...**

**Valencia, Gregorio de  
Stevartius, Petrus**

**[Ingolstadt], 1576**

Capvt Tertivm, Quo, discrimen duplicis auxiliij actualis explicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46873)

opportunitates, ut alia per multa, quibus clementissimus Deus mentis osium pulsatur, atque hominem vocat, ut si quis consensu voluntatis respondens aperuerit ianuam, intret ad illum, per habituales mansurus gratiam.

XXXVIII. Quia verò neque voluntas nostra respondere potest, nisi ab eo adiuta, cuius est, non solum vocare, sed etiam ad se trahere; Idcirco præter ea, quæ ad intellectum pertinent, diuina alia motione voluntas quoque indiget, quæ adiuta, vocationi respondet consentiendo, ut contra Pelagium est definitum.

Cui quidam heretico, scitè admodum D. August. Quid est (inquit) ineptius, et ab ipsa charitate alienius, quam confiteri ex Deo esse scientiã, quæ sine charitate inflat, et ex nobis esse charitatem, quæ facit ut scientia inflare non possit?

XXXIX. Est autem hæc diuina motio, actualis concursus supernaturalis, quo simul cum voluntate cooperante, actiones supernaturales Deus efficit, et eidem voluntati habitus infundit, quibus roborata cooperatur; atque uia Deus voluntatè ad actus mouet; perficiendo videlicet illam eiusmodi habitibus, per quos inclinatur in illos actus supernaturales, eosque elicit, concurrente simul ipso Deo. Ita, diuina hæc motio quæ ad incitamenta quibus homo vocatur, accedit, non prius tempore ponitur, quàm voluntas per eam adiuta, Deo vocanti respondeat. Hinc autem quomodo non sequatur, liberum non esse voluntati, respondere, declarabimus postea, quando agemus de requisitis ad gratiam potissimam obtinendam, et de eorum conditione.

### CAPVT TERTIVM,

Quo, discrimen duplicis auxiliij actualis explicatur.

XXX. Patet ex his, cum distingui solet duplex actuale auxilium; speciale vnum, quod ordinariè confertur, sufficiensque est ad consentiendum, sed tamen potest etiã a voluntate repudiari; specialissimum alterum, quod extraordinariè, et paucissimis confertur, cuius sponte quidam, certò tamen homo consentiat; non esse querendū id discrimen inter hæc auxilia, quatenus vtrūque efficax est, quando scilicet voluntate respondente, actualis Dei motio ad incitamenta accedit, quibus impellitur intellectus, et homo vocatur. Hæc enim actuali motione existente, certò et infallibiliter ex hypothesi homo consentit auxilio etiã speciali. Si quidem ea motio, cum Dei concursus sit, ad conuersionem supernaturalem, ut iam antè diximus, nisi homine respondente, non adhibetur.

XXXI. Positum igitur est prædictū discrimen, in diuersis motibus, quibus aliter mens pulsatur per auxilium specialissimum; atque per speciale; inter quæ adeò multū interest, ut illis certò et semper homo acquiescat; ac proinde auxiliū specialissimum semper sit efficax. His verò, non itè; quippe quibus multū, tametsi vocati, non respondent. Unde speciale auxilium inefficax esse potest. Neque enim sine causa dictum est, multi sunt vocati, pauci verò electi.

Apocal. 3.

Ioan. 6.

In Conc. Arausico. & Mileu. c. 4. Li. de gratia & lib. arb. cap. 19. Vide etiam, lib. de prædestin. & gratia c. 4. 11. & 12. & lib. de bono prou. c. 13.

Matth. 20.

XXXII. Existit autem hęc, quoniam de specialiſſimo auxilio dicitur, nõ praterenda difficultas. Nã si infallibiliter & semper, huic extrator dicitur auxilio, homo acquiescit; Consequens videtur, hominem non posse liberè illi reniti. Aliò qui enim nonnunquam accideret, tale auxilium frustrari. Quòd verò liberum non sit ei auxilio resistere, difficile est ad explicandum. Cum enim per illud, non mutetur natura voluntatis, neque obiecti, aut actus, ad quem eliciendũ voluntas inuitatur; quicquid Deus extrinsecus hortetur, aut faciat per id auxilium, non apparet, cur voluntati adempta sit libertas repudiandi eum actum, quem aliò qui haberet, si specialiſſimo auxilio non possideretur. Ac similem, vel eandem difficultatem habet, quòd in gratia confirmati peccare graviter non possunt. Apparet namq̃ hęc confirmatio esse, prædictum auxilium, aut aliquod simile, vel semel, vel certè toties homini imperatum, quoties incidit peccandi occasio.

XXXIII. Hoc dupliciter expedire possumus, primò si dicamus non esse impossibile, id auxilium repudiare, sed difficillimum: Quòd satis est, et nunquam moraliter repudietur. Secundo etiamsi admitamus, possibile non esse, tale auxiliũ reicere, præsertim cum quis in gratia confirmatur; inde tamen potest proponi difficultatis explicatio, unde difficultas ipsa est nata, nempe ab ipsamet natura voluntatis: non quòd ea per auxilium specialiſſimum mutetur; sed quòd à principio, talem illam Deus fixerit; ut eadem, peccandi Dei voluntate remota, quo is velit specialiſſimum auxilium conferre, non responderi; non necessariò, sed liberè, actum supernaturalem eliciat, vel peccatum vitet. Eiusmodi verò Dei voluntate & auxilio existente, necesse prodeat in bonum actum. Quemadmodum, eadem natura voluntatis, existente visione Dei clara, necessariò elicit actum amoris Divini: & eadem, voluntate remota, liberè.

XXXIII. Quòd facilius intelliget is, qui animadvertat, in peccatis Creatoris fuisse, sicut fingere, aut non fingere has vel illas creaturas: Ita etiam illis modum in operando præscribere, ut aliqua conditione, aut re existente, vel non existente, hoc aut illo modo operarentur. Quoniam igitur pertinebat ad præmium totius uniuersi, atq̃ adeò rerũ humanarum rectorem Deum, ut ceteras omnes res; sic etiam voluntatem humanam penitus subiectam habere: Iam quoquò versum velit, si expedire iudicat, stectendo: Idcirco, ita Deum libertate hominem donauit, ut tamen pro ipsius Dei arbitratu, sponte quidem, sed necessariò, quoduis bonum amplecteretur, ex iis que aliò quum liberè amari posset.

Prou. 21.

XXXV. Insinuasse hoc, haud obscure, Salomon videtur, illis verbis: Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, & quocumq̃ voluerit.

luerit, vertet illud. Ac Paulus, cum inquit: Voluntati ergo eius quis resistet? Quid igitur gratia sit generatim accepta, quid gratia habitualis, quid denique actualis, quamq[ue] late pateat, satis sit dixisse. Quod enim diuidi gratia solet in operantem & cooperantem, praeuenientem & subsequentem; exploratum est, id non ad aliquas re ipsa distinctas gratias, sed ad eiusdem gratia, siue habitualis, siue actualis varias appellationes pertinere, iuxta effectuum gratiae varietatem & ordinem.

Rom. 9.

## PARTIS SECVNDAE, De his quæ ad gratiam potissimam obtinendam requiruntur.

### CAPVT PRIMVM,

Quo docetur non solum fidem, sed alias etiam actiones in adultis requiri.

**S**equitur ut videamus, quenam DEVS requirat, ut hominem **XXXVI.** dignet potissima illa gratia, quam supra diximus, in Scripturis cõprensis commendari. Vident ferè omnes, tam hæretici, quam Catholici, ut, quod Deus propter merita Christi pollicitus est, hominem aetate adultum in gratiam suam recipiat, necessarium esse, illius mentem aliquo actu, vel etiam aliquibus, in Deum ipsum conuerti, quo suapte sponte, ut naturæ rationis participem deceat, gratia munere affici censeatur, illud, tacite saltem, hoc ipso accipiendo, quod homo in Deum fertur gratia largitorem, atq[ue] adeo, ab eo etiam amari vult, & affici gratia.

**XXXVII.** Docuit id Christus Dominus, cum, postquam differuisset, quemadmodum necesse fuerit, ipsius passione impleri omnia, quæ scripta erant de eo in lege Moysis & in Prophetis & Psalmis, adiecit etiã, id fuisse necessarium, ut predicaretur in nomine ipsius, penitentia, & remissio peccatorum: atq[ue] ita explicuit, quoniam modo, ab æterno Patre obtinuerit, ut in suam gratiam, quæ peccata remittuntur (sicut infra ostendemus) homines admitteret; si videlicet penitentiam nomine illius predicandam non negligerent. Ac alio in loco: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Est enim Sacramentum etiam necessarium, aut certe eius desiderium, ut alicubi est definitum. Extant præterea multa alia Scripturarum sententia, ex quibus constat, ad gratiam requiri eam hominis in Deum conuersionem.

Lucæ 23.

Matth. 28.  
Sess. 6. Con. Trident. c. 5. & 6.  
Ioël 2. Zach. 1.  
Esaï. 31. & 45.  
Hier. 3. & 15.  
Ezech. 18. & 33.  
Osee 4. Amos 4.  
1. Reg. 8. Can. 5.  
Apoc. 3.

**XXXVIII.** Cum verò omnes, ut dictum est, conuersionem aliquam requirant, magna tamen est controuersia, tum de numero actionum, quibus